

MEDICI
LONDINENSIS EXIMIUS
EPISTOLA
DE
Viri Celeberrimi
ISAACI CASAVBONI
MORBI MORTISQUE CAUSA.

Edita ex Museo
IOACHIMI MORSE.



LVGDVNI BATAVORVM
Excudebat IACOBVS MARCI.

MDCCXIX.

279949919
MEDICI
LONDINENSIS EXIMI
EPISTOLA
DE
Typographus L. S.

Variarum ramores fuerunt de obitu Doctorum Principis ISAACI CASAREONI. At veram huius Herois morbi mortisque causam, detectam epistolis quasdam R. T. eximij Londinensis Medici, ad primatem Belgij virum, cum apud DN. MORSIVM vidissem, exemplar petij. Quod ille, quemadmodum ab excellentissima Philosopho & Medico OTTHONE HEVRNIO acceperat, haud invitus (que morum eius facilitas) mecum communicavit. Quo ne solus fruerer, vobis tuis id representare consultum duxi. Tu conatus meos approba, & Vale feliciter.



Vir

Excusavit IACOBVS MARCI.
LUGDANI BATAVORVM

Vir Amplissime,

Nescio quo pacto sensim de labor in pigritiam, nec forsan adhuc arripuissem calamum, nisi dolor adegisset acerbissimus ab extincto magno literarum lumine CASABONO, quem tabido morbo liquefactum rapuit prima dies Iulij. Dysuria diuturna confecit florem Doctorum, ex causâ abdita, vix antea visâ, vel audirâ. Signa omnia calculum in vesica attestabantur & mentiebantur. Nam aperto abdomine pro calculo inventa est vesica monstrosæ conformationis ab utero matris. In sinistro latere vesicæ prominebat *ἐκφυσις* vastæ capacitatis, sese attollens usque ad sinistrum os ilij, ejusdem substantiæ continuæ cum ipsa vesica, ut videri posset altera vesica naturali adjuncta. In eodem sinistro veræ vesicæ latere, foramen erat ejus magnitudinis, ut facile admitteret quatuor digitorum apices, pervium à verâ vesica in adnatum saccum quo refluebat lotium: ubi diutius retentum, putredinem, inflammationem, tabem, & interitum tandem attulit. Accessit & renis dextrî purulentia: unde aucta perniciēs restagnante illis in locis fœdissima illuvie. Hinc orificium vesicæ interius tumefactum ex assiduo conatu: hinc viæ angustiores: hinc refluxus totidem ferè in venas: hinc spirituum infectio; & postremò animæ purissimæ ab importunis fœtoribus profligatæ exitus placidissimus. Quæres? & bene. qui potuit vivere ad eam ætatem cum organo necessario tam male conformato? Accipe responsum. Illa *ἐκφυσις* in primo ortu toto ambitu cōtingebat vesicam proximè, & foramen

illud pervium occludebat, ut loco naturali moram
faceret urina ad debitam emictionem. Progreſſu ve-
ro temporis continuo urinæ appulſu, & forte longio-
re retentione, (ut attentis ad ſeria quandoque con-
tingit) membrana illa adnata abſciſit paulatim ab
illo oſtio, inque diem magis ac magis in ventrem ac-
crevit (ut videmus ſuperſuas partes incrementum
facile ſuſcipere) donec ſex vel ſeptem poſtremis vitæ
annis eſſet ſaccus ille pro urinæ alveo ſecundariò:
unde pars tantum urinæ aliqua regurgitabat in veſi-
cam, & inde in ureterem, reſiduo ſemper aliquo
fluctuante in illo maſcupio: nam ab illo tempore co-
natum fuit opus ad exprimendum lotium: ejus rei ma-
gnum argumentum eſt, quod veræ veſicæ corpus
contractum erat, denſius quam pro naturæ modo,
profundis rugis inæquale ex deſuetudine dilatationis.
Ex ea partium ad excrementorum expulſionem per-
turbatione, omnis corporis Oeconomia collapſa eſt,
& vir magnus inter lethi cruciatus extinctus per do-
lores ad aſtra penetravit, ea conſtantia & alacritate,
ut ſpectantibus omnem mortis metum expectoraret.
Dab. Londini Anno M D C XIV Idibus Julij.

F I N I S.